







24

DE  
CAPITE ECCLESIAE  
V N O

S P E C I M E N

EX DICTO PAVLINO AD Ephes. I. v. 20-23.

Q V O D

SVB PRAESIDIO GRAVISSIMO  
D. IOANNIS FRIDERICI  
B A H R D T

S. S. THEOL. PROF. PVBL. CONSISTORII REGII ADSESS.  
ET AD DIV. PETR. ECCLESIASTIS

PRAECEPTORIS SVI AETATEM COLENDI  
IN AVDITORIO THEOLOGORVM

DIE XIV. IVN. A. MDCCLV.

VENTILANDVM PROPONIT

AVCTOR RESPONDENS  
IOANNES GOTTHELFF FRITZSCHIVS

PEGAV. MISN.

S. S. THEOLOG. STUDIOSVS.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.









§. I.

**I**ussi de capite ecclesiae vno, ex dicto Paulino ad Ephes. I. v. 20-23, quaedam commentari, quid sit ecclesia, ante omnia explicare debemus. Sensu latissimo ecclesia est coetus hominum religionis causa coniunctus. Vnus homo non potest constituere ecclesiam, sed plures requiruntur, qui vinculo quodam vniti societatem efficiant. Neque etiam quaelibet societas est ecclesia, sed illa tantummodo, cuius singula membra vnam eandemque religionem colunt, exercent, profitentur, et per hanc religionem in vnum quasi corpus coaluerunt. \*) Cum

Definitio ecclesiae.

A 2

vero

\*) Ex hac descriptione nomine ecclesiae appellari possunt omnes coetus, qui communi quodam cultu ens aliquod summum venerantur, ii etiam, qui ob mentis caecitatem cordisque malitiam, errorem pro veritate, et superstitionem pro religione vera apprehendunt. Habemus ecclesiam Ethnicam, Muhamedanam, Pontificiam, Graecam et reliquas. Adfunt vero rationes grauissimae, cur primam ecclesiae notionem tam latam amplamque formamus. Licet enim non nisi vna sit ecclesia, quae hoc nomine vere digna est, nimirum illa, quae constat ex vere fidelibus: tamen quoniam omnes homines eodem, quo nos, iure gaudent, ideoque non solum possunt, sed etiam debent illam sequi religionem quam ipsi pro vera habent agnoscuntque, dummodo omnia cognoscendae verae religionis media adhibuerint: quoniam porro quilibet eam veram esse ecclesiam fere putare solet, cuius placita ipse sequitur; ita formandum esse primum quidem ecclesiae conceptum putauerim, vt neque alios, a nostra sententia in rebus diuinis recedentes, communi omnium hominum iure priuemus, neque quenquam a sacris nostris alienum, numero verae ecclesiae membrorum excludamus, antequam, quae sit ecclesia vera, idoneis argumentis probauimus; quod vtrumque vero fieret, si ecclesiam in genere ita definiremus, vt definitio ad Christianos tantummodo quadraret. De recte formandis definitionibus, primis praecipue notionibus, conferri potest prae aliis Viri Summe Venerabilis D. CHRIST. AVG. CRVSI, Praeceptoris mei ac Patroni ad cineres vsque colendi Logica, quae inscribitur: Weg zur Gewißheit und Zuverlässigkeit der menschlichen Erkenntniß, P. II. Cap. 3. §. 483-488.



vero doctrina de ecclesia ad eas res pertineat, in quarum consideratione imprimis spectandum est, quomodo illae comparatae esse debeant; ille docendi modus etiam hic est tenendus. Vnicuique autem sine dubio liquidum est, eam solam esse veram ecclesiam, quae deum verum, rerum omnium creatorem conseruatoremque eo, quo ipse vult, modo cognoscit colitque, et cuius membra debito modo ex praescripto diuino per communionem fidei sunt vnita. Quodsi vero omnes accuratissime expenderimus religiones earumque inuestigauerimus originem, inueniemus sane, illam, quae in sacris literis continetur religionem, solam esse veram diuinamque. Sine partium enim studio religionisque patienti animo perpensis, quae pro diuinitate scripturae sacrae afferri solent, argumentis, sole meridiano clarius est, auctores sacros diuinos fuisse legatos, deque spiritu percitos esse locutos. In quonam vero consistit cultus diuinus, quem nobis praescribit scriptura sacra, nisi in eo, vt deum, prout se manifestauit, cognoscamus, vocationem diuinam ad regnum Messiae obedienter audiamus accipiamusque, animo itaque de peccatis dolente Christum tanquam vnicum nostrum seruato-rem vera fide apprehendamus, vitamque sanctam agamus? Ex haecenus dictis vera et proprie sic dicta ecclesia, est coetus eorum hominum, qui vocationi diuinae, qua omnes homines ad salutem aeternam per Christum acquirendam inuitantur, locum dederunt, vere in Christum credunt, fidemque suam vita deo placente moribusque sanctis comprobant. Dicitur igitur 1. ad Cor. I. v. 2. ecclesia sancta, quae non habeat maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi ad Ephes. V. v. 27. Affirmatur, illam esse vniam, quoniam eius membra vnum deum colunt, eandem fidem habent, iisdem Sacramentis vtuntur ad Ephes. IV. v. 4. Opponitur illa, a potiori parte denominata, impiis, qui quidem ore veram religionem profitentur, actionibus vero suis moribusque, tanquam spuria verae ecclesiae membra, abnegant dominum qui ipsos redemit, et συναγωγή τῆ σατανᾶ sunt Apoc. II. v. 9. discernitur ab illis, qui ἕξω sunt 1. ad Cor. I. v. 2. Apparet vero exinde, ecclesiam sensu specialissimo et proprio sumtam, semper esse inuisibilem, solumque deum καρδιογνώστην nosse, quinam homines ad illam pertineant.

## §. II.

*ecclesia caput  
ere debet.*

Licet vero ecclesia, qualem quidem iam definiuimus, in plurimis multum differat a republica humana, neque cum vlla rerumpublicarum forma accurate comparari queat, in eo tamen conuenit, quod illa itidem societas quaedam est, cuius membra certo modo sunt vnita, et ad vnum eundemque scopum tendunt. Cum vero fieri non possit, vt vlla societas felix tutaque sit sine capite quodam, quod omnia regat, procuret, salutem socie-



Societatis promoueat defendatque: ecclesia etiam sine eiusmodi capite esse nullo modo potest. In scriptura sacra sane coetus vere fidelium sub eiusmodi imaginibus repraesentatur, quae manifeste necessitatem capitis cuiusdam, quod illum regat, inuoluunt. Appellatur ecclesia 1. ad Tim. III. v. 15. *ὄικος, familia.* \*) Num vero status familiae cuiusdam prosper esse potest sine rectore, qui, ut omnia ordine gerantur, utque cuilibet ad illam familiam pertinenti pro conditione sua bene sit, curet? Ecclesia dicitur 1. Petr. II. v. 9. *ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιπόησιν.* Genti vero necessario praefit princeps, qui communis omnium felicitatis securitatisque curam gerat. Fideles pluribus in locis, ex quibus vnum asserit sufficere ad Ephes. IV. v. 4., comparantur cum corpore. Corpus vero, quod viuere debet, necesse est ut habeat caput, quod principium vitae sit totius corporis. Ex his itaque omnibus apparet, dari oportere quenquam, qui tanquam princeps atque caput ecclesiae praefit.

## §. III.

Iam vero quis sit illud ecclesiae caput, et quod vnum tantummodo sit, *Dictum scriptura sacra, Noui inprimis Testamenti, omnibus fere paginis docet. plicandum*  
Nos hoc ex dicto ad explicandum nobis praescripto, quantum quidem in

A 3

nostris

\*) Vulgo quidem interpretes verbum *ὄικος* hic vertunt per domum seu aedificium; neque negari potest, aliis etiam in locis ecclesiam omnino comparari cum aedificio, extructo super fundamentum Prophetarum et Apostolorum, cuius lapis angularis Christus est. Attamen, non exclusa hac significatione, Paulum in allato dicto simul respicere ad homines in domo aliqua habitantes, et familiam constituentes putauerim. Habeo duas inprimis rationes pro hac sententia mea militantes. Primo enim vitur Apostolus verbo *ἀνακρέθεσις*, quod conuersationem vel commercium cum aliis hominibus denotat. Instruit nimirum Paulus Timotheum quomodo se in ecclesia, curae ipsius commissa, gerere debeat, ut nullius salutem negligat, neminem offendat, omniumque veram felicitatem promoueat. Deinde apparet etiam hoc ex eo, quod Paulus statim doctrinam subiungit, quam Timotheus inprimis inculcare atque vrgere diligentissime debeat: nimirum doctrinam integram de Christo, quae est *κύριος καὶ ὑπόστασις τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογημένος μέγα τῆς ἐνοσηρίας μυστήριον*; ita enim interpungendum atque explicandum esse hunc textum, connexio versus 15. cum v. 16. docet, uti prae aliis B. BENIGELVS hoc luculenter demonstrauit in Apparatu Critico ad h. l. Iam vero non docentur aedificia, sed homines in aedificiis habitantes. Praeterea cum vocabulum *ὄικος* etiam alibi, v. g. Act. X. v. 2. 1 Cor. I. 16. 1 Tim. III. 4. c. V. 4. familiam notet, non video, cur haec vox in allegato Pauli effato non eodem modo verti possit, cum haec versio multo commodiorem atque faciliorem sensum praebet, quam si redditur domus seu aedificium.



nostris viribus positum erit, breuiter eruere studebimus. Exat vero illud dictum ad Ephes. I. v. 20-23. his verbis conceptum: ἦν (supple ex praecedentibus ἴσχυον) ἐνήργησεν (sc. ὁ Θεός, ἐν τῷ χριστῷ ἐργείρας αὐτὸν ἐν τῶν νεκρῶν, καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτῆ ἐν τοῖς ἐπερανοῖς ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου ἢ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τῶντων, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τῆς πόδας αὐτῆ, καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῆ ἐκκλησία, ἣτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτῆ, τὸ πλήρωμα τῆ πάντα ἐν πᾶσι πληρωμένον: latine ex versione FRANCISCI IVNII: quam (virtutem suam) operatus est (Deus) in Christo, quam suscitauit cum a mortuis, et federe fecit eum a dextra sua in coelis supra omnes principatus, et potestates et virtutes et dominationes, et supra omne nomen, quod nominatur non solum in seculo hoc, sed etiam in futuro, subiecitque cuncta sub pedibus eius, et eum, qui est supra omnia, dedit caput ecclesiae, quae est corpus ipsius, complementum eius, qui omnia implet in omnibus.

## §. IV.

entum  
inae.

Quae vero in his verbis continentur, ea maximi esse momenti totus docet contextus. Affirmauerat Paulus v. 16., se non cessare pro Ephesiis deo gratias agere, eorumque mentionem facere in precibus suis. Exponit v. 17. et initio v. 18. id quod precetur, nimirum vt deus Ephesius dare velit spiritum sapientiae et illuminatos oculos intelligentiae. In sequentibus addit res, ad quarum cognitionem ipse Ephesius apprecetur dona spiritus sancti, scilicet vt cognoscerent, primo quae sit spes vocationis ipsorum, deinde quae sit opulencia gloriae hereditatis eius in sanctis, et denique quae sit excellentia magnitudinis virtutis eius in credentibus, qui credant secundum efficacitatem roboris virtutis eius v. 19. In nostro autem textu ostendit Apostolus, in quo potissimum se exseruerit illa virtus diuina, nimirum in resuscitando Christo ex mortuis, et constituendo eo tanquam capite ecclesiae. Refert itaque Paulus doctrinam de capite ecclesiae ad eas res, quarum cognitio maxime sit necessaria, et ad quas intelligendas diuina spiritus sancti illuminatione opus sit. Sane si rem curatius consideramus, magnum habere momentum, vtrum verum ecclesiae caput cognoscamus nec ne, apparebit. Capiti enim ecclesiae necesse est vt summum honorem diuinumque cultum exhibeamus. Quod si vero eiusmodi cultu fictitium quoddam et falso ita habitum caput ecclesiae prosequamur, nonne idololatriam quandam committimus?

## §. V.



## §. V.

Christum autem esse illum, quem pro capite ecclesiae habere atque venerari debemus, textus noster disertis verbis docet. Dicit enim Apostolus, deum collocasse Christum a dextra sua in coelis et dedisse illum caput ecclesiae. Cum autem Christus duabus naturis constet, secundum quam potissimum naturam ille sit caput ecclesiae, quaeri potest. Paulus in dicto nostro appellat *Christum*, *μωστην* illum inter deum et homines. Iam vero ut filius dei sit Christus, promissus ille hominum seruator, duae simul naturae necessario requirantur. Christus itaque est nomen, quod de tota tantummodo seruatoris nostri optimi persona, non vero de vna ex duabus illis naturis, separatim et extra vnionem personalem spectata, praedicari potest. Et cum in textu nostro nihil adsit, quod nos cogat nomen Christi arctioribus circumscribere limitibus, et ad vnam tantum referre naturam, nobis etiam non licet eiusmodi limitationem in textum inferre. Quamuis vero ita appareat, Christum secundum vtramque naturam dignitatem illam capitis ecclesiae tueri: Paulum tamen in primis ad humanam respicere naturam, licet in vnione cum diuina consideratam, mea quidem est sententia. Ex toto enim contextu liquet, singulare quid esse, de quo Paulus in dicto nostro Ephesios instruere tentat, et rem, quam Apostolus his vltimis versibus proponit, quod nimirum Christus rex atque dominus omnium rerum, in primis vero caput ecclesiae sit, appellat v. 9. huius ipsius capitis mysterium voluntatis diuinae. Iam vero nihil arcani vel mysterii inest in eo, quod Christus, quatenus est deus, cum patre et spiritu sancto regnat, vt super omnia, ita etiam super ecclesiam. Multo aliter vero res se haberet, si Christum secundum humanam naturam consideramus. Summum enim omnino mysterium est, quod quidam ex hominum genere ortus, eodem cum patre et spiritu sancto maiestatis diuinae throno confedit, atque ecclesiam sanguine suo antea redemptam partamque, tanquam caput summum potentia plane non limitata, pro arbitrio gubernat regitque. Tenendum tamen est, humanae Christi naturae tantum honorem ideo competere, quoniam ipsa arctissimo, licet inexplicabili modo, cum filio dei vnita, omnium earum praerogatiuarum, quibus diuinitas gaudet, particeps est facta. Manifestum exinde etiam est, a regimine ecclesiae minime excludi primam et tertiam sacrosanctae Trinitatis personam; sed cum Christum ecclesiae caput vocamus, sententia est, seruatorem nostrum peculiari quadam ratione, quam mox explicabimus, hoc nomen gerere.

*Christus est  
caput ecclesiae.*

## §. VI.



## §. VI.

s dederit  
istum ec-  
clae in ca-

Constituit vero Christum caput ecclesiae ipse deus, et quidem vi infinitae suae potentiae. Secundum verba enim textus nostri deus domini nostri Iesu Christi, virtutem suam infinitam imprimis operosam manifestavit in Christo, excitando illum ex mortuis, collocando a dextra sua in coelis, et praeficiendo illum, caput super omnia ecclesiae. Verbum *καθίστω* v. 20. actiuam et neutralem significationem habet; hic actiuam siue *transitiuam* locum habere, docet praecedens Nominatiuus Participii actiui *ἐργετας*, et eadem constructione subsequens v. 22. verba actiua *ὑπέταξεν* et *ἔδωκε*. Dicitur quidem ad Hebr. I. v. 3. Christus ipse, cum per se ipsum fecisset purgationem peccatorum nostrorum, *intransitiue* confedisse a dextra maiestatis in excelsis. Neque tamen haec duo effecta sibi inuicem contrariantur. Christus enim, quatenus est deus, et quatenus humanae ipsius naturae omnia diuinitatis iura, omnesque eius praerogatiuae, non solum ad *communem denominationem*, vti vocant, sed etiam ad *communem possessionem* atque *usum* per vnionem personalem sunt communicatae, ipse confedit in throno maiestatis diuinae, cum ipso superior non esset, qui illam potestatem ei tribueret. Quatenus vero Christus homo est, ius occupandi regnum patris, et dignitatem capitis ecclesiae accepit a Deo, vi tamen infinitae potentiae, quam ipse cum patre et spiritu sancto communem habet.

## §. VII.

omodo  
ristus sit  
ut eccle-

Non tantum vero Christus caput ecclesiae est, prout ex pacto cum patre rex est atque dominus, vti omnium rerum, ita etiam ecclesiae: sed peculiari quadam et singulari prorsus ratione seruator illud nomen gerit. Cum enim Paulus in textu nostro iam dixisset, deum subiecisse Christo omnia, cur statim addit: *καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῆ ἐκκλησίας*, nisi his verbis peculiare quid et ab illo diuersum indicare vellet; neque enim *ταυτολογίας* otiosas in libro diuino statuere nobis licet. Pactum vero illud, cuius iam mentionem fecimus, in eo consistit, quod filius in se suscepit, quod natura humana indutus, pro hominum satis facere peccatis, et omnia ea, quae iis ad salutem adipiscendam necessaria essent, suo sanguine illis promereri vellet, cui e contrario pater regnum in omnes quidem homines promisit, ita vt etiam secundum humanam naturam, iure perfecto plenaque potestate super omnia regnaret, *regno non essentiali*, quod habet per essentiam, nec demum in tempore accepit, sed *mediatorio*. Haec est *dextra dei*, in qua secundum verba textus nostri deus collocauit Christum. Neque enim aliud quicquam per sessionem Christi ad dextram  
dei



dei patris intelligendum esse, quam plenam perfectamque acceptationem atque administrationem regni a deo sibi promissi et nunc traditi, omnibus notum est. Ita vero regnare coepit seruator noster post resurrectionem demum suam. Nam (ὁ Θεός) ἐγείρας αὐτὸν (Χριστὸν) ἐκ νεκρῶν, tunc ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ. Opus enim erat, antequam Christus hereditatem gentium acciperet, regnumque sibi promissum occuparet, ut ipse etiam conditionem illam impleret, sub qua pactio ista facta erat, nimirum ut susceptum redemptionis opus perficeret. Tum demum etiam humana saluatoris nostri natura ad plenarium communicatae sibi maiestatis diuinae usum pervenit, qui tamen ad imperium hoc recte gerendum necessario requiritur. Omnia vero subiecta sunt Christo, ipsis potentis coelestibus non exceptis. Collocavit enim eum deus a dextra sua in coelis, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος. Hisce enim nominibus significari angelos notum est, et patet in primis ex Coloss. II. v. 15. Videmus exinde diuersas omnino dari angelorum classes. Num vero, uti DIONYSIVS, et ex eo RYYSBROCKIVS, item TAVLERVS dicunt, tres sint angelorum hierarchiae, quarum quaelibet tres choros comprehendat, ex scriptura sacra confici non potest. Generatim collocavit eum deus ὑπεράνω παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένα ἐ μόνον ἐν τῷ ἀνώγει τῆ-  
*τω*, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. Πᾶν ὄνομα ὀνομαζόμενον generatim significat omnes res, quae et in praesenti seculo sunt, et in futuro erunt; speciatim vero hac expressione indicantur personae celebres atque in honore constitutae, et respondere videtur haec locutio hebraica **וְשֵׁן וְשֵׁן**, ita ut sensus horum verborum sit, nullam omnino esse ex omnibus creaturis, in quanto excellentiae et dignitatis fastigio etiam illa collocata sit, quae non Christum pro rege suo ac domino agnoscere debeat. Αἰὼν ἔστος est praesens, in quo iam vivimus, mundus, cui opponitur αἰὼν μέλλον futurem seculum, quod in aeternum porrigitur. Regni itaque Christi nullus erit finis, cum ipse tanquam rex constitutus sit ὑπεράνω παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένα etiam ἐν αἰῶνι μέλλοντι. Ita vero Deus πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τὰς πόδας αὐτοῦ, sc. Χριστοῦ.

## §. VIII.

Singulari vero quadam ratione Christus est caput ecclesiae, ideoque hoc separatim affirmat Apostolus dicens: καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῆ ἐκκλησία, quasi dicere vellet: licet Christus sit caput, rex ac dominus omnium rerum, deus tamen eum praecipue tanquam caput dedit ecclesiae, quae inde etiam dicitur corpus illius, quod de ceteris, quibus Christus, rex regni dei imperat, dictum non legimus. Post voces vero  
Continuatio eiusdem rei.

B

ὑπὲρ



*ὑπὲρ πάντα* subaudiendum est *καθιζόμενον* passiva significatione acceptum, positum seu collocatum.

## §. IX.

*Interior ex-  
plicatio rei.*

Quo sensu autem Christus caput ecclesiae sit, paucis nunc explicandum est. Seruatorem nostrum ita dici metaphorice et per similitudinem, a capite corporis humani desumptam, vix annotari meretur. Quod si vero notiones in illa similitudine latentes euoluimus, non vna ratione Christum cum capite comparari intelligemus. In genere ex isto cognomine videre licet, arctissimam Christi cum ecclesia sua vnionem. Quae enim arctiori vinculo coniuncta sunt, quam caput et corpus? Ad hanc vnionem mysticam illustrandam, vtitur in scriptura sacra spiritus sanctus etiam aliis similibus. Christus se ipsum Ioh. XV. v. 5. vocat vitem, cuius palmites sint, qui manent in ipso. Siftitur Christus pluribus in locis, Ioh. III. v. 29. Apoc. XIX. v. 7. tanquam sponsus, cui nupta sit ecclesia. Tres vero potissimum ob rationes Christus caput ecclesiae dicitur. Inter omnia corporis humani membra caput reliquis dignitate et perfectione praestat: Seruator noster infinite dignior excellentiorque est omnibus reliquis corporis sui mystici membris, ipsis etiam angelis in ecclesia triumphante; ille secundum verba Pauli ad Hebr. VII. v. 26. *ὑψηλότερος* est *τῶν ἑβανῶν*, non tantum qua diuinam, sed etiam qua humanam naturam, quippe quae et in se considerata, multo maioribus perfectionibus excellentioribusque facultatibus gaudet, quam reliquorum hominum natura per peccatum infirmata atque corrupta. Christus enim, qua homo, vnctus est a deo donis spiritus sancti prae sodalibus suis, et praeterea communicatas sibi diuinas perfectiones habet. Caput principium dirigens vitae totius corporis est, si quidem ex eo spiritus animales in omnia membra diffunduntur, quae hinc ita vires sentiendi agendique et se mouendi omnes accipiunt: eodem modo seruator noster intuitu corporis sui mystici, hoc est, ecclesiae et singulorum eius membrorum sese habet. A quo enim fideles vires vitam agendi spiritualem accipiunt, nisi a solo Christo? Affirmat hoc Paulus ad Ephes. IV. v. 15. 16. et ad Coloss. II. v. 19. vbi dicit, ex capite scilicet Christo, totum corpus per commissuras et ligamenta accipere suppeditationem, et ita crescere, et Christus ipse consentit, dum se in loco supra citato vitem appellat, ex qua succi vitales in palmites deriuentur, vt crescere et fructus ferre queant. Fit vero hoc duplici modo. Primo enim redemptor noster satisfactione sua ecclesiae promeruit omnia ea, quae ad vitam spiritualem agendam pertinent, nimirum peccatorum remissionem et spiritum sanctum cum donis ipsius. Haec enim omnia ob solum Christi meritum fidelibus conferri, omnes fere scripturae

sacrae



sacrae paginae docent. Euolui tamen inprimis possunt ad Ephes. I. v. 3. et 2. Per. I. v. 3. Deinde vero Christus ipse per praesentem et efficacem operationem, seu *influxum* quendam, vti vocant, realem atque *mora-*  
*lem*, potentiae et gratiae, vires spirituales credentibus, si mediis gratiae recte vtuntur, donat, conseruat, corroborat, auget, vt adeo ad varias functiones spirituales apti ac idonei reddantur. Dicitur inde Christus ad Hebr. XII. v. 2. dux et consummator fidei nostrae. Pertinent huc etiam omnia media et instrumenta, cum quibus Christus operatur, et per quae vitam spiritualem fidelibus donat et conseruat, verbum nempe diuinum et sacramenta, cum *donis ministrantibus* et *sanctificantibus*. Caput denique dirigit totum corpus, et omnes eius actiones. Hoc idem facit Christus respectu ecclesiae. Regit quidem ille totum mundum; sed *providentia specialissima* gubernat coetum suorum fidelium, nouit suos, prospicit singulari prorsus modo eorum saluti, protegit ecclesiam contra omnes diaboli et malorum hominum impetus, vt nec inferorum portae contra illam aliquid valere possint, et transfert tandem illuc, vbi ipse iam visibilis est, in regnum gloriae, vbi ipsa cum capite suo arctissime vnita triumphabit in aeternum.

## §. X.

Ecclesia, cuius caput Christus est, vocatur in textu nostro *σῶμα* *Quae eccles-*  
*αὐτῆς* sc. *Χριστοῦ*, et deinde *per appositionem πλήρωμα τῶ πάντων ἐν πᾶσι* *in textu inte-*  
*πληρωμένον*. Repraesentatio ecclesiae tanquam corporis Christi frequens est *ligatur.*  
in scriptura sacra, et pluribus in locis a me iam allatis occurrit, nihilque aliud, vti ostendi, indicat, quam vnionem illam mysticam, quae inter Christum et fideles intercedit, et qua hi ipsi etiam in vnum corpus vniti sunt. Verba vero vltima non omni carent difficultate. Quomodo enim ecclesia *πλήρωμα* sit Christi, primo quidem adpectu non satis clarum est. Per illum vero, qui omnia implet in omnibus, intelligendum esse Christum ex eo apparet, quoniam eius proxime antea mentio facta est, et nihil praecedat, ad quod haec verba rectius referri possent. *Πληρωμένον* autem vertendum est actiue. Alias enim vix commoda quaedam explicatio horum verborum suppeditari potest. Significatur autem hac expressione omnipraesentia atque omnipotentia Christi, vi cuius nihil omnino datur, cui ipse non sit praesens, et in quo non operetur vt c. IV. 10. Verba *ἐν πᾶσι* quidam de fidelibus tantum intelligi volunt, quippe in quibus omnia impleat Christus, mentem luce diuina, voluntatem piis affectibus, corpus ipsum obsequendi facultate. Quae quidem licet in se considerata sint vera, tamen, cum nullae adsint rationes, ob quas ista verba ita limitari de-  
beant,



beant, huc non pertinere mihi quidem videntur. Quod autem ad vocem *πλήρωμα* attinet, illa et *actiuam* et *passiuam* significationem habet. Quidam interpretes in loco nostro *passiue* accipiunt, hunc esse sensum dicentes, quod ecclesia *πλήρωμα* Christi appelleretur, quoniam ab eo donis spiritus sancti impleatur. Alii e contrario *actiue* explicant, ecclesiam ipsam complere ac perficere Christum statuentes, Christum enim sine ecclesia idem esse, quod caput sine corpore \*). Quod si vnam ex his explicationibus eligere debemus, primam praefendam esse cum plerisque putauerim, ex ipsa Pauli interpretatione Coll. II. 20. Quid vero impedit, quominus duas illas explicationes coniungamus, et utramque simul hic locum habere dicamus. Ecclesia enim *πλήρωμα* Christi est, quoniam omnes fideles ex plenitudine ipsius accipiunt gratiam pro gratia, Ioh. I. v. 16. Ea vero etiam dici potest *πλήρωμα* Christi, quoniam ipsum, quatenus cum capite comparatur, complet ac perficit, ut ne sit caput sine corpore. Admissa praeter priorem illam simul vltima hac explicatione, enascitur perquam rei conueniens aptusque sensus. Tunc enim appositionem istam commodè ita interpretari possumus, veluti Paulus diceret: O! quam admiranda res, quantum mysterium: ecclesia est corpus Christi, ideoque plenitudo et complementum eius, qui tamen ipse implet omnia in omnibus. Neque etiam eo modo *multiplicem* sensum in textum inferimus, sed sensum tantummodo *compositum* admittimus, quem vero pluribus in locis scripturae sacrae locum habere certum est \*\*). Ex haecenus dictis apparet simul, quacnam illa sit ecclesia, de qua loquitur Apostolus, et cuius caput Christus dicitur. Intelligitur ecclesia proprie sic dicta, vera eaque inuisibilis, quae constat ex membris vere fidelibus et sanctis. Homines enim, qui ad visibilem tantummodo pertinent ecclesiam, et ore, non vita et moribus Christum profitentur, proprie nullo modo dici possunt corpus Christi, eiusque plenitudo.

## §. XI.

*Ius Christus  
caput ecclesiae.*

Solus vero Christus, praeterque eum nemo plane alius, caput est ecclesiae. Non omnia ordine proferam argumenta, quibus hoc adstrui potest et solet; sed tantummodo quaedam monebo ad rem istam probandam sufficientia. Illud inprimis vrgendum esse censeo, quod et in dicto nostro et

\*) CHRYSOSTOMVS ad h. I. itaque dicit: plenitudo capitatis est corpus, quemadmodum plenitudo corporis est caput.

\*\*) De explicatione horum verborum conferri poterunt Critici sacri Tom. VII. ad h. I. qui multa lectu dignissima annotarunt.



et in omnibus reliquis locis, in quibus de capite ecclesiae diferte sermo est, v. g. Ephes. IV. v. 15. cap. V. v. 23. Coloss. I. v. 18. cap. II. v. 10. solus Christus et nemo alius caput dicitur. Tota ecclesia corpus est Christi, compositum et colligatum ex pluribus membris, quorum quidem variae esse possunt functiones, sed ex quibus nullum ita eminent, ut reliqua omnia dignitate et perfectione praestet, eaque gubernet. Quid? quod in iis ipsis dictis, in quibus hierarchia ecclesiastica ex instituto describitur, ut Ephes. IV. v. 11. 1. Cor. XII. v. 28. nulla prorsus capitis cuiusdam, seu eius, qui solus ecclesiae vniuersae praesse debeat, mentio iniiciatur, quod tamen fieri debebat, si eiusmodi caput esset, cum hoc vel maxime ad ordinem ecclesiasticum recte intelligendum pertineat. Iam vero primum sine dubio requisitum capitis ecclesiae hoc esse debet, ut sit institutum a deo et Christo, domino omnium rerum supremo. Neque enim cuiquam hominum licitum esse potest illam dignitatem sibi ipsi propria auctoritate arrogare, ideoque vehementer violat maiestatem atque iura domini nostri Iesu Christi, quicumque se pro capite ecclesiae venditare et gerere audeat. Neque etiam alio praeter Christum capite ecclesia indiget, quemadmodum nec Christus ipse vicario quodam. Quae enim ad vitam spirituales pertinent, ea omnia fideles accipiunt ex plenitudine seruatoris, ceu vnici capitis sui, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Externam vero ecclesiae gubernationem iure meritoque sibi vindicat magistratus politicus, cum et ex ratione et ex scriptura sacra simul certum sit, eum omnino gaudere iure circa sacra tam *maiestatico*, quod habet ut imperans ex iure territoriali, quam *collegiali*, quod ut membrum ecclesiae habere potest, vel ex iure deuolutionis, vel ex pacto siue tacito, siue expresso, ut adeo non requiratur, qui totius ecclesiae curam gerat. \*) Christus vero ipse omnibus iis infinite est instructus, quae ad ecclesiam regendam,

B 3

confer-

\*) Argumenta pro iure Principum circa sacra ex ratione petita euolui possunt in ven. D. CHRIST. AVG. CRVSI, supra iam memorati, Philosophia practica, oder; Anweisung vernünftig zu leben, cap. X. Iuris naturae §. 632. sequ. generatim vero de iure Principum circa sacra conferri possunt BVDDER, viri nunquam satis venerandi, Institutiones Theolog. dogmat. p. 1273 - 1281. It. Christ. Thomasti Recht evangelischer Fürsten in Religions-Streitigkeiten, Christoph. Matth. Pfaffens über das sowohl allgemeine, als auch teutsche protestantische Recht P. I. c. V. p. 90. George Ernst Ludew. Preuschens tr. daß ein Catholischer Landes-Herr in Ehed und andern Kirchen-Sachen seiner evangelischen Unterthanen zu erkennen nicht befugt sey. Sießen 1753. Cap. I-III. George Ulrich Tritschlers unpartheyische Abhandlung von dem Rechte eines Catholischen Landes-Herrn in Religions und Kirchen-Sachen seiner protestirende Unterthanen. Altm 1753.



conseruandam et protegendam pertinent, et opus non habet, quemadmodum reges principesque in terra, vt vicario quodam vtatur, qui se absente vel defatigato ecclesiae interim prospiciat. Quin etiam ne homo quidem caput ecclesiae esse potest. Ad illud enim, quemadmodum describitur in scriptura sacra, requiritur, vt et perfectius superiusque sit omnibus creaturis, et tanta sapientia, potentia atque auctoritate polleat, vt ecclesiam regere, conseruare ac protegere possit, et inprimis per influxum quandam moralem pariter ac physicum membris suis, hoc est fidelibus omnes vires, quae ad vitam sc. spiritualement et pietatem pertinent, largiri possit. In quemnam vero hominum haec omnia cadunt?

## §. XII.

*renis appli-  
cio ad pa-  
tum.*

Ex his omnibus iudicari potest, quo iure episcopus Romanus non tantum se dici caput ecclesiae patiat; sed etiam omnes eos persequatur deuoeatque, qui illam dignitatem ipsi denegare audent. Quamdiu ille potestatem sibi proprio ausu arrogatam non firmioribus, quam huc vsque factum est, adstruxerit rationibus, quamdiu non ex ipsa scriptura sacra euerit, a deo constitutum esse aliquod visibile ecclesiae caput, eamque dignitatem deberi episcopis Romanis; tam diu etiam illum pro capite ecclesiae agnoscere non possumus. Sentimus potius cum auctoribus articulo- rum Smalcaldicorum in articulo quarto de papatu, et in appendice de potestate et primatu Papae: Papam iure diuino, seu secundum verbum dei, non esse caput totius Christianitatis, sed hoc nomen vni et soli Christo deberi.

Ad argumentum a me iam tractatum sequentes theses pertinere videntur, quas si cui oppugnare libuerit, pro viribus defendam:

Thef. I. Christus nullum Apostolis tradidit in ecclesia regimen monarchicum, Luc. XXII. v. 24. sequ. nec Petrum constituit caput ecclesiae, ne secundarium quidem, suiue vicarium, qui haberet primatum iurisdictionis et auctoritatis 1 Petr. V. v. 2.

II. Quicumque sibi arrogat Episcopi oecumenici titulum, ex sententia Gregorii M. Pontificis Romani, pro successore Luciferi et Antichristi antecessore merito habetur.

III. Regale sacerdotium Pontificis Romani, a Bellarmino aliisque adsertum, omni destituitur scripturae sacrae et pia antiquitatis testimonio.

IV. Pon-



## IV. Pontifices Romani legitimi non sunt Petri successores.

V. In ecclesia eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, ex verbis Apostolorum: ecce! duo gladii hic! et responsione Christi: sic satis! aliaque: conuerte gladium tuum in vaginam! ex vaticinio Ieremiae: ecce! constituo te hodie super gentes et regna; ex oraculo Paulino: spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur, sine omni ratione probat Bonifacius VIII. Constitutione de maiestate et obedientia, cui bene sapienterque respondit Philippus IV. Rex Galliae: sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse.

VI. Authenticus scripturarum interpret et supremus controuersiarum fidei iudex, ipse Christus est eiusque spiritus, neutiquam vero Pontifex Romanus.

VII. Statutis regni Christi repugnat Pontificis imperium, et in haereticorum vitam potestas, a Baronio ei vindicata in Epist. contra Venetos, ubi, duplex est, inquit, beate Pater ministerium Petri, pascere et occidere, iuxta illud: pascere oues meas, et iuxta illud: occide et manduca. Quando enim Pontifici negotium est cum refractariis et aduersantibus, tum iubetur Petrus eos mactare et occidere, atque in viscera sua recondere.

VIII. Recte intellecta bene excusari potest Lutheri, Smalcaldia anno 1537 discedentis, vltima vox: Impleat vos deus odio Papae, de quo morti proximum se arbitratus, Gothae Pomerano declarauit: scire se, quod recte Papatum aggressus esset, inimicum deo, Christo et Euangelio. Vid. 10 H. FRID. MAYERI Disp., cui titulus: Diui Lutheri vorum: deus vos impleat odio Papae. Viti Ludou. a Seckendorff hist. Lutheranismi Lib. III. §. 60.


Cum vero ita cognoscamus, Pontificem Romanum nullo respectu esse caput ecclesiae, cum historia nos euidentissime edoceat, illum dolo et vi se tanquam dominum ecclesiae Christi obtulisse, et cum ita liqueat, tyrannum potius eum dici debere, quam iustum coetus Christiani dominum; quantopere nos gaudere atque exultare, quantas gratias Deo nostro afferre debemus, cum hoc anno memoriam illius temporis secularem iterum renouamus, quo nobis per ministerium Lutheri ex tyrannide Pontificis vindicatis, solius Christi tanquam capitis nostri cultoribus, potestas religionem nostram libere exercendi, per pacem illam ita dictam religiosam concessa et confirmata est? Quo tanto beneficio quomodo dignius viuere poterimus,  
quam




quam ut vita moribusque nostris edoceamus, nos tanquam vera coetus fidelium membra a Christo, capite nostro, viuificari, omnesque nostras actiones ab ipsius spiritu dirigi. Ita vero Christus, cui omnia tradita sunt in coelo et in terra, ecclesiam suam contra omnes hostium imperus crudeliter sanguinolentosque ad finem usque mundi proteget, pacem illam sanctam rectamque esse iubebit, et hoc tantum beneficium nouis subinde et multo adhuc maioribus excipiet. Florebit coetus fidelium, et deuictis hostibus triumphabit in aeternum.













00 A 6366

ULB Halle 3  
002 928 035



Sb.

VD 18  
1007

Repro. ✓










24



DE  
 TE ECCLESIAE  
 VNO

SPECIMEN

CTO PAVLINO AD Ephes. I. v. 20-23.

QVOD

RAESIDIO GRAVISSIMO  
 ANNIS FRIDERICI  
 AHRDT

PROF. PVBL. CONSISTORII REGII ADSESS.  
 AD DIV. PETR. ECCLESIASTIS

PTORIS SVI AETATEM COLENDI  
 ITORIO THEOLOGORVM  
 IE XIV. IVN. A. MDCCLV.

VENTILANDVM PROPONIT

CTOR RESPONDENS

GOTTHELFF FRITZSCHIVS

PEGAV. MISN.

S. THEOLOG. STUDIOVS.

LIPSI AE

FFICINA LANGENHEMIANA.